

DE

HOMINE PHILOSOPHICO

QUATENUS

JUDICETUR EX ROMANI

JURIS

PRAECEPTIS NONNULLA

COGITATA

AUCTORE VETTER

DOCT. JURIS.

Rex est mihi quivis, cujus patria
sita est intra fines generis humani
quique, dum leges fert, amplectitur nil
nisi hominis salutem atque genus.

*Ex scriptis incolae alicujus insularum socie-
tatis in magno Oceano sitarum.*

SCRIPSI FELLINI, D. XVI. NOVBR. MDCCCXII.

RIGAE,

TYPIS GUIELMI FERDINANDI HAECKER,
TYPOGRAPH. PUBL. CIVIT. RIG.

Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu

BIBLI

CERTIS

AMICIS ATQUE FAUTORIBUS

HAEC

PAUCA SACRATA

AUCTOR.

Vobis, amici, atque fautores, haec
pauca verba sacrare volui. Etenim
post meum iter de Petropoli, in
via ipsa, ubi mihi occurrerent tot
homines diversi quoad linguam,
mores, originemque, quippe qui
autem omnes vitae salutem ex-
pectant ab Alexandro patriae pa-
tre, nec unquam falluntur in hac
expectatione: cogitatione quasi
mersus multa mihi in mentem ve-
nerunt, de quibus hac parva com-
mentatione, nonnulla, nisi fallor,

facta est mentio. Fortasse si appropinquat ver, neque Fortuna me jam avocavit hac amoenissima regione, quae sola mea amica est: jam vobis communicarem ea, quae versantur in meo pectore, quod autem, ut haec verba ipsa, vobis sacratum volui. Ita valetate, atque favete.

Cogitanti mihi de quavis materia tractanda, ac in communem usum quodammodo adhibenda, nulla alia mihi visa est ad hunc finem consequendum idonea, quam si pro virium facultate, et ex intimo mei pectoris iudicio eligerem talem, cui cum voluptate, quam ipse ex ejus tractatione caperem, adjuncta sit illa communis rerum utilitas, ex qua mihi aliisque praeter ceteris tractanda videretur. Itaque, ut propius accedam argumentum, quis est, qui particeps negotiorum publicorum, seu expertus in vita quotidiana, non videat, in negligentia studii philosophici omnis publicae ac privatae calamitatis causam atque semen, quod propagatum, nostris vel temporibus contulit ad evertendas totas civitates atque terras. Etenim si Philosophia nihil aliud est, quam doctrina mediorum, quibus facillime eum, qui omnibus rebus praescriptus est, finem, nec non connexum humanarum actionum

cum suis causis atque effectibus cognoscere possis: quis, quaeso non commendet hoc studium cuibliet juris studioso, quis non sentiat, hominem non nisi, auxiliante Philosophia, rite posse constitui atque dijudicari? Quare quum nostrum propositum constet in eo, ut inquiremus paulum in notionem, quam Romanis temporibus Philosophia juridica constituit de homine, seu potius de hujus hominis dignitate: jamjam operae pretium esse videtur, ut prius agamus paululum de Philosophiae historia, ut quo magis ejus factorum per haec tempora habeamus aliquam rationem, eo magis hodiernam ejus dignitatem, quam sibi praesenti doctrinarum statu vindicavit, perspicere, atque nostro animo quodammodo proponere possimus.

Primum Philosophiae initium ducendum esse ab antiquissimo jam tempore, quo homines per literarum inventionem societatis vincula eo arctius inter se constituere atque firmare studerent, eo minus quis dubitabit, qui non nisi aliquam sibi sacrae scripturae notitiam comparandi nactus est occasionem. Nam ut omittam Mosis in ordinanda sua republica sa-

piantiam, cujus animus vel tam praeclare se exhibuit in ejus scriptis, ad tempora nostra usque conservatis, nobisque traditis, ¹⁾ ut taceam de illa Patriarcharum dignitate atque simplicitate, eaque omnino philosophica, mentionem nonnisi faciam de illis antiquitatis celeberrimis Philosophiae systematibus, quae tantam habuerunt vim ad excolendas paene omnes doctrinas, nec non praecipue ad perficiendum studium juris Romani. Atque si jurisdictio Romana jam illi sagacissimo viro, Adamo Schmidio, ²⁾ ratio videretur, ex qua respectu morum, Romanos quo-

- 1) In historia creationis mundi omni jure Mosi summa Philosophiae laus tribuitur. Creatis enim animalibus ex Dei sapientia procedit homo, qui nunc per usum earum, quae eum circumdant, rerum, monstret, se esse ratione praeditum.
- 2) Adamus Schmith. sagacissimus veritatis perscrutator erat cum Hutchesonio, Fergusonio unus celeberrimorum Scotiae Philosophorum, quippe qui quum praecipue Philosophiae principia ex sensibus, seu potius ex facultate sentiendi derivarent: hic denique per suum opus de sensibus moralibus suam gloriam haud dubie immortalem reddidit.

dammodo Graecis praeferendos judicaret³): jam hoc iudicium, ut res ipsa, a nobis requirit, ut perscrutemur causas, ex quibus juri Romano tantum perfectionis gradum ascendere contigerit.

Si rem ad unguem considerare velimus, jam hic mentio fiat de Philosophia Ionica atque Italica, a quibus profectae feruntur omnes aliae, quae tantam in arte cogitandi iudicandique effecere commutationem. Ionicae autem Philosophiae auctor dicitur Thales Milesius, qui unus ex septem magis Graeciae, Italicae contra Pythagoras, qui primus se appellasse Philo-

- 5) Quodammodo hoc iudicium probabile videtur, si sermo fit de eo tempore, quo Phryne ex ea pecunia, quam sibi per quaestum corporis comparaverat, Thebarum muros ab Alexandro destructos, sub conditione hujus inscriptionis: *Ἀλεξάνδρος μὲν κατέσκαψεν ἀνεστήσε δὲ Φρυγὴ, ἡ ἑταίρα*, (Athen. XIII. p. 591.) se restitutam promisit. Leontium amatrix Epicuri post aliquam noctem, qua fructa erat in brachiis amatoris, mane philosophari solebat de natura voluptatis, ut taceam de Hipparchia, quae cum Crete nuptias celebraret coram omnibus Athenarum civibus.

sophum traditur. (Cic. Tusc. V. 3.) Omnes Sectae, quae de his Philosophis originem ducunt, sunt aut ingloriae, aut inclytæ. Illis annumerantur ⁴⁾: Eleatica, ⁵⁾ Cyrenaica, Eliaca, ⁶⁾ Megarica, Heraclitea, et Democritica, his autem sequentes quatuor: Epicurea, Cynica, quam Stoici emendaverunt, ⁷⁾ Platonica, seu Academi-

4) Zeno Eleates, nec Zeno Cittieus, auctor sectae stoicae.

5) Aristippus Cic. off. III. 33.

6) Euclides.

7) Systema Platonis, quod continetur praecipue ejus opere inclyto de republica progreditur a natura singuli hominis ad totas civitates, quatenus in singulo homine eadem reperiuntur virtutes, quae in civitate. Ut enim homo justus, aut injustus, virtute praeditus, aut vitiosus putari potest, ita etiam civitas potest, qua talis, judicari, quippe quae ex hoc principio nihil aliud est, quam corpus, quod, ut in homine, animus semper regere debet. Etenim ut constituit in sua republica tres classes: classem regentem, classem defendentem, et denique classem fruentem atque comparantem: ita in singulo homine tres obtinent vires principales: ratio, animus, et impetus fruendi comparandique (λόγος,

ca, et denique ea Aristotolis. De Graecis Philosophia propagata est in Romanos, inter quos Numa Pompilius primus Philosophiae ac religioni operam dedit in eo, ut iis praescriberet certa principia; quibus autem post ejus mortem irritis factis, religionis quidem principia salva,

ἄνθρωπος et *ἐπιθυσία*) quibus si recte quis utitur, perfectus est homo, ut respublica his tribus classibus instructa perfecta appellatur. Plato itaque accommodat naturae interni hominis statum civitatis, et ita subveniens necessitatibus naturae humanae rationem primam legem constituit, sub qua omnes legislatores, Glossatoresque congruant, explicentque corpus juris!

Quod autem attinet principium Aristotelis, discipuli Platonis, quod virtus posita sit in mediis duobus extremis, quorum alterum consistat in abundantia, alterum contra in defectu ejus impetus aut studii, quo nititur omnis actio: hoc quoad maximam partem, si sermo fit de virtutibus temperantiae verum, si autem mentio fit de omnibus hominis virtutibus, mancum videtur. Nulla enim, exempli gratia, nobis occurrit ratio, ex qua in perficiendis animi facultatibus, certam debeamus observare temperantiam, quatenus haec tempe-

sed ea Philosophiae sublata viderentur. 8) Illis enim temporibus Populus Romanus tantis bellis erat implicitus, ut ei nequaquam Philosophiae colendae tempus superesset. Doctrina Jurisprudentiae restricta erat ad scientiam duodecim tabularum, quas si quis memoriter edisceret, jam sibi nomen Jurisconsulti vindicaret — quae inscitia obtinuit ad secundum bellum punicum usque, quo tempore bella cum Graecis, Romanis occasionem praeberent, ut Graeci capti cupiditatem sapientiae in Romanorum animis magis magisque excitarent, donec ille admirabilis vir, romanae civitatis gloria, cujus si prudentia patriam atrocissimo periculo Catilinae conjurationis liberaret, maxime simul, admirabiliterque valuit ad firmandam Romani populi dignitatem internam, gloriamque externam, quippe qui primus studium Philosophiae cum studio linguae, et principia juris naturalis cum Jurisprudentia conjungere studuit. 9) Philosophia

rantia nostrae internae perfectionis fiat restrictio atque impedimentum.

8) Livius Dec. 4. lib. ult.

9) Taceant ejus inimici. qui, Ciceronem Phi-

autem, quam foveret, nulla alia erat, quam stoica, cujus principia cum sint fons, ex quo omnis Jurisprudencia Romana hausta est, paulo accuratius inquirere jam operae pretium videtur.

Principia hujus Sectae continentur praecipue Ciceronis tertio libro de finibus, atque in eo, quod agit de officiis, quippe quae nisi verba, tamen animum stoici systematis nobis suppeditant. Attamen duo, praecipue viri, nimirum Antoninus, atque Epictetus, ille potentissimi regni imperator, hic servus, sed splendida hominis stella sub pectore, neque in

losophum in vitae curriculo non sibi constitisse, susurrant. Constitit sibi vir in omni casu, quo de patriae salute ageretur deliberareturque; ita enim provoco ad historiam publicae, nec privatae ejus vitae. Privata autem vita in hominibus in tanto honoris fastigio constitutis ex principiis historiae plane nulla judicari debet propterea quod homines tales, dum mente altiora complectantur, plerumque id, quod decet in privata vita, negligere solent. Sed utinam omnes homines publici ita, ut Cicero, finito curriculo, exclamare possent: vixi, peccavi, lapillum in me —!

sed sub veste enituit, de ejus docendi methodo nobis exhibuerunt specimina atque documenta. 1°)

Verum enim vero animus stoicae Philosophiae praecipue in eo, ut mihi videtur, cognoscitur, quod hominem a prima aetate ad eam periodum usque persequitur, qua homo ad virtutem dignandam idoneus, nec non per vitae experientiam habilis factus ad regendas cupiditates, sibi per vires animi certum vitae systema constituere valet. Quam notionem suadent nobis exempla omnium eorum virorum, qui per vitae constantiam admirabiliter haec suae Philosophiae praecepta professi sunt. 1)

10) Stoici autem, ut mihi videtur, in eo praecipue sibi vindicant Philosophiae suae dignitatem, quod primum discrimen constituerent inter *πρέπον* et *αγαθόν*, vel, ut Cicero exhibet, inter honestum, et decorum, quo illae virtutum classes principales, alterae nimirum, quae sunt virtutes propter effectus, quos proferunt, et alterae, quae sunt virtutes per naturam, a qua proficiscuntur, a se invicem, ut justum erat, separatae sunt.

1) Sufficiat hic nomen Catonis. Qui non sentit ejus mortem esse vitae decus atque

Quae quum ita sint, prius, quam sermo fiat de vi, quam habuit in Romanam Legislationem, paullulum disseramus de illis primis naturae, in quibus Stoici totam suam Philosophiam positam voluerunt. Tres sunt impetus, ita philosophantur, naturae, a quibus proficiscitur solida hominis notio, quatenus hic homo ad virtutem creatus cogitatur. Primus est ille amor sui, quo quisque infans, simulac adspexerit mundi lumen, quasi imbutus,

gloriam, is neque vivet, neque morietur ut Stoicus. Sed fortasse maxime animus hujus Philosophiae cernitur in his verbis (Senec. Epistolar. XIV.): „Fateor insitam, esse nobis corporis nostri caritatem, fateor nos hujus gerere tutelam; nec nego, indulgendum illi: serviendum nego. Multis enim serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia defert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis obicit. Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. Agatur ejus diligentissime cura, ita tamen, ut, cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem sit etc. etc. De Catone vide infra.

quique neque pendens de voluptate, neque de dolore sensuum, propterea infanti instillatus videtur, ut pro sua aetate, quatenus de sua natura cognoscere potest, se tueri, et omnia, quae nocitura, avertere possit. Propterea, ut ex luculentis signis colligere possumus, nititur in vitam, et hujus vitae perpetuitatem, et quaerit matris mammam, et se occultat in ejus brachiis. Crescentibus annis crescit et ille amor, quem mox, ut fit ex lege naturae, sequitur ille secundus impetus societatis. Etenim jam infans clamare, atque angere videtur, si solus, nec prius silet, quam veniat inter homines. Itaque simulac puer relinquit conclave parvorum, solitudo ei est odiosa, neque non in societate aliorum puerorum fruatur vita, quae ei per actiones, quarum fit particeps, jam nunc videtur jucundior, atque magis necessaria. Quae si societas, cum juvenis factus, ei fit conditio, sub qua homines judicat dignos, qui amentur, jamjam ipse studebit, ut ametur, itaque hoc studium per societatem nobile atque constans redditur, nec pendet de sensibus, sed de interna nostrae perfectionis conscientia atque dignitate.

Tertius denique ex stoicis principiis impetus consistit in cupiditate cognoscendi. Hominem enim jam a natura scientiam inscitiae praeferre dicunt; sed fructus hujus cupiditatis monstrentur in nostris actionibus, nec in vanitate nitendi. Itaque stoici quidem commendant curam corporis, sed commendant nonnisi eatenus, quatenus corpus conjunctum cum animo, et animi efficientia pendeat omnino de corporis robore atque sanitate; ideoque magis nostra refert ex lege naturae, corpus robustum, quam pulchrum habere, quamquam officia (το καθήκον) nequaquam negligunt illud decus, quod majorem nostris actionibus praebet dignitatem atque efficientiam.

Quibus prolatis, facile nunc intelligemus, stoicos omnia referre ad illud moralitatis principium: age ex tua natura. Nam si homo ex illo principio, qui agit suae naturae convenienter, vitam agit virtute praeditam: sensus hujus principii nullus alius potest esse, quam virtus est humana natura ipsa in sua perfectione, integritateque, si per liberas actiones exhibetur, aut in iis apparet; ideoque stoicum moralitatis principium, quam maxi-

me, ut mihi videtur, illi Platonico respondet, quod virtutem ex perfectissima interni hominis natura, seu constitutione, ut revocem imaginem, civitatis prodire docet.

Huic autem doctrinae de interno homine respondent plane illa nostri juris praecepta: honeste vive, neminem laede, suum cuique tribue. Praeceptum autem habet apud Latinos duplicem sensum, notat enim legem, vel admonitionem; ita enim Papinianus legem communem praeceptum vocat L. I. D. de LL. Sint autem leges, aut admonitiones, aut, ut Seneca ait Lib. II. de ira C. 27. suasiones officiorum ex Philosophia morali petitas, quae latius patent, quam juris regulae, et multa requirunt, quae extra publicas tabulas sunt²⁾: omnia referenda sunt, ad internum hominis statum, quatenus scilicet hujus hominis actiones ex intimo aliquo impetu, ut vocant, morali procedere dicuntur. Qui

2) Nimis vero ingeniosi sunt, qui primum ad jus naturae, alterum ad jus gentium, tertium ad jus civile referunt, vel ut alii, qui ea ad tria bonorum genera, animi, corporis, et fortunae spectare voluerunt.

enim ex primo principio re vera honeste vivere studet, magni aestimat, nec timet legem, propterea quod haec lex respondet suae voluntati, quae ei jam necessitas facta, laedendi neminem, suumque cuique tribuendi. Qui autem cuique suum tribuit, ex intima pectoris dignitate, metitur omne, quod aliis debet iudicium, neque eos laedet i. e. neque eis damnum inferet, quoad fortunam, quoad corpus et animum, sed in suo interno homine sentiet impetum, ex quo hominem ad societatis vinculum magni facere tenebitur. Quam praeceptorum notionem suadet ipsa illa definitio de jurisprudentia: quod sit divinarum atque humanarum rerum notitia, justis atque injustis scientia. Scientia autem philosophica ex meo iudicio nihil aliud est, quam conscientia, ut taceam de justa imitatione Ulpiani, qui prima illa verba: „*divinarum atque humanarum rerum notitiam*,“ a philosophica sapientiae definitione (apud Cic. Lib. I. de offic. c. 43. et Senecam Epist. 88, 89.) mutuatus est, quippe quae autem verba non nisi per *juris Philosophiam* interpretari queunt; ideoque jurisprudentia nihil aliud est, quam *Philosophia juris*. Utinam omnes Jureconsulti hanc suae doc-

trinae dignitatem sibi, suoque pectori insinuarent, instillarentque!

Huic autem definitioni Jurisprudentiae accedat ea de ejus fine, justitia, quippe quae ex stoicis principiis est constans et perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi. Scio quidem, hanc definitionem Agricolam, Grotium, aliosque multos reprehendisse; sed respiciendum est, quod non soli stoici, sed etiam plerique veterum virtutes constantia propositi metiebantur. Cic. Paradox. III. c. 1. Idem ait Lib. I. de LL. c. 17.: constans et perpetua ratio vitae, quae est virtus, itemque inconstantia, quae est vitium; ideoque mihi videtur Justitia durans voluntas, propositum et habitus crebris actionibus firmatus, seu ut Cic. Lib. II. de invent. c. 53.: Justitia est habitus animi, communi utilitate servata, suam cuique tribuens dignitatem. Genus ergo justitiae est virtus, uti liberalitas constantia benignitatis. ³⁾

3) Seneca denique Epist. 113. ait: at sacra res est justitia, alienum bonum spectans, nihil ex se petendo, nisi usum sui.

His praemissis exhibeamus denique illam memorabilem legis definitionem: *lex est voluntas principis, subditos obligans.* Sed omnis voluntas Philosophica praesumitur bona atque constans. Itaque si principi leges ferendi facultas est, his ipsis legibus declaratur ejus voluntas, ad communem utilitatem servandam, suam cuique tribuendi dignitatem.

Quaestio nunc oritur, utrum princeps per animum legum jam possit conferre non solum ad conservandam, sed etiam ad augendam moralitatem populi? Qua de re mihi persuasum est. Sed si Deus dat tempus atque sanitatem, neque haec parva commentatio omni incitatione indigna videtur, jam spero, fore, ut proxima ansa hanc materiam copiosius tractandam putarem.

Imprimatur.

Rigae, d. 27. Novbr. 1812.

A. ALBANUS,
Censor.